

Q.K.304,5.

93. (X1883918)

II  
n  
2783

D. D.  
DISSERTATIONEM HISTORICAM  
PRIOREM,

De

# Illustribus Brande- burgiæ Marchionibus,

In

Inclyto ad Albim Athenæo  
Eruditorum Sententiis  
exponunt

M. CHRISTIANUS SCHULZ/

Zanov. Pomer. P.L.C.

&

JOHAN- GEORG. à BELOW/  
Eques Pomer.

ad diem 7. Julij, horis matutinis,  
In Auditorio Collegii Veteris.

WITTEBERGÆ,  
LITERIS MICHAELIS WENDT/  
ANNO CIO IOCLX.



VIRIS  
*Summè Reverendo, Illustribus, Magnificis Gene-  
rosis ac maximè Strenuis*

**DN. EOWALDO à Kleist / Sereniss.**  
Elect. Brandeb. in citeriori Pomeraniâ Regi-  
minis Præsidi, Cameræ Electoralis à Consiliis Secretio-  
ribus, Reverendi Capituli Camminensis Decano,  
Capitaneo in Marienfließ/Hæreditario in Nörlingen/  
Wirkewerder/Raddow &c.

**DN. LAURENTIO CHRISTOPHORO**  
à Somniß/ Sereniss. Elect. Brandeb. à Con-  
siliis Secretioribus, in Orientali Pomerania Regimi-  
nis Cancellario, Hæreditario in Drenow/ Grumb-  
dorff/ Gummien/ &c.

**DN. DÖRINGIO JACOBO à Crockow/**  
Sereniss. Elect. Brandeb. Consiliario, Judici  
Provinciali districtus Stolvensis, Hæreditario in  
Peest/Dübbertzin/ &c.

*DNNN. Patronis, Promotoribus, obseruantur  
coleundis, suspiciendis*

Hoc Exercitium Academicum in sui  
commendationem  
O. D. C.

*Devinctissimus V. V. V. Magnif. & Gener.  
Cliens*

Johan-Georgius à Belov.

D. D.

## Proœmium.

**N**on proposuimus animo L. B. integrum MARCHIONUM BRANDEBURGICORUM Genealogiam disputationum incudi supponere nec res omnes ILLUSTRIbus his personis aptare, neq; inquirere in omnium MARCHIONUM originem; sed tantum ex omni evo quosdam referre, eosq; ILLUSTRES, unde quoq; Titulum dissertationi præfiximus De ILLUSTRIBUS BRANDenburgiæ MARCHIONIBUS, non de MARCHIONIBNS in genere: Siquidem illorum omnium, qui tempore JOHANNIS II. WALDEMARI I. JOHANNIS III. & WALDEMARI II. vixerunt, gestas res ex historiarum monumentis colligere non licuit, quod alij sorte sua contenti vixerint, alij sacris ut personæ privatae se consecrarent. Illustre apud Ciceronem est quod omnibus notum factum est: Hinc facta illustria & gloria, que omnibus innotuere, Et Viri illustres, qui vel pluribus vel omnibus terrarum locis in claruere, de his impræsentiarum dissertandum erit. Sit itaq; B. C. D.

## SECTIO I.

### De ILLUSTRIBUS MARCHIONIBUS antiquioribus.

Disquiritur more disputantium de vocabulo Marchia & Marchionis CAROLUS M. autor Marchionatus in Germania. HENRICUS Auceps Brandenburgicorum & quatuor aliorum. SIGFRIDUS I. ab HENRICO instituus. GERO ab OTTONI. M. cui succedunt BRUNICO, HUGO, SIGHARDUS, DITERICUS quo regnante MESTIEOJUS Vandalus Brandenburgum recuperat, DITERICUS II. Landsbergæ residens, DEDO, THIMO, CONRADUS ultimus ex hac stirpe.

I. Marchiones Brandenburgicos ab HENRICO Aucupe solemniter constitutos *Vandalis Slavisq; tractum illum inter Salam & Albim* sub potestate tenentibus oppositos fuisse constanter Historicis in opinionem venit. Nam *Henricus Victor & triumphator de tot barbararum gentium exercitibus quinq; Præfectos certis in locis creavit, Slesvicensem oppositum Danis, Brandenburgensem Vandalis, Misnensem Boemis, Lusatum Polonis, Austrium Hunnis & Avaribus.* Hinc Marchiones Comites Limitanei dicebantur, qui tuendis finibus Romani Imperii erant præfecti.

II. Vocabulum Marchionis & Marchiæ mirè Dd. in origine investiganda cruciavit: Alii à *Marcomiro* Francorum Duce deducunt; *Fendista à Mari*, quia Marchia ad mare posita est. Alii à *Celtico*, ubi Marchia significet eqvum, & *Marchare* est equitare, ut Marchio sit quasi equitum præfctus & Magister. *Georgius Sabinus* in lib. de appell. *March. Brandeb.* à Græco *vouæchia* derivat & abjecta priori superstitem esse Marchiæ vocem putat. *Hermannus Vulpo* lib. I. de Feudis cap. 4. num. 14. à finibus denominatur, qui in Germanica nostra significant March eo, quod Marchiones finibus tuendis præfecti essent & Marchias provinciarum limites dici testatur *Mozzius de his qui feendum dare possunt* num. 16. Hoc *Carolus Sigonius* lib. 4. de Regno Italiæ in *Carolo M.* dilucide expressit his verbis: *Imperator regni limites atq; oppida comitibus administranda commisit atq; eis omnem publicam atq; privatam jurisdictionem mandavit.* Limites Marchas vocarunt, unde præfecti limitum *Marcharum Comites atq; Marchiones dicti*: In quibus duo continentur 1. Marchiones à CAROLO M. esse institutos. 2. Marchiones esse Principes limitaneos. Conferatur de utroq; *Chronicon Carionis Peuceri* lib. *Georgij Fabricij Saxonie. Matthæi Dresseri Historia Universalis Germanica* loco de *March. Brandeb.*

III. Non solum aurem Imperii curam agebant & ad fines excubabant in armis; Verum etiam de omnibus limitum Controversiis judicarunt, ut in Sect. III. de OTHONE I. ALBERTI URSI filio, CONRADO & JOHANNE linea Ursinæ Marchionibus sufficienter compertum habituri sumus, ex controversiis.

versis limitaneis motis cum Megalopolitanis & Nostris Pomeraniæ Duciis: Hic distinguitur Marchio & Landgravius, quod hic sit Judex generalis de omnibus regni controversiis judicans: Ille Judex Particularis de Regni limitibus & terminis tantum. *Conradus Lagus in Compend. Juris Civilis & Saxonici.* *Keckermannus lib. 1. System. Polit. cap. 21. Feudistis hodie Marchio est, qui investitus est de Marchia.* Quamvis enim ab initio Marchiones finium custodes fuerint, posterioribus tamen temporibus etiam in mediterraneis regionibus imperii de Marchia investiti Marchiones dicuntur. *Petrus Heigius Illustr. Quest. q. 1. n. 55.* *Matthias Stephani lib. 2. de Jurisdictione part. 1. cap. 6.*

IV. *Marchiones Brandenburgicos ex celeberrima Ducum Saxoniae WITEKINDÆ stirpe procreatos dicimus, ex quâ HENRICUS Auceps Imperator optimus & felicissimi ELECTORES SAXONIAE hodierni originem trahunt.* Fuit enim DITERICUS Comes Mersburgensis & Ringelheimensis Witekindi Magni Pronepos, & SIGFRIDUS DITERICI Filius Witekindi abnepos, quem HENRICUS Auceps Imperator Marchionem Brandenburgensem constituit Vandalis Slavisq; oppositum. Albertus Cranzius in hunc modum recitat historiam: HENRICUS Imperator Tyrones suos quos proximo anno exerceri jusserat exploraturus eos contra Vandalois dicit ad Suevum. Oderam & Havelam fluvios, nec infeliciter res gerit, in tantas angustias eos redigit, ut tandem in urbem Schorensi quæ hodie BRANDENBURGUM est, se conferrent, ubi sperabant, se Imperatori resistere posse; Sed Imperator factis castris, inente hyeme, cum palustris illa loca glacie concreta transire posset, eos adeo affigit, ut se dederent, ut vero Vandalorum excusiones prohibere posset Marchionem urbi praeficit SIGFRIDUM Comitem Ringelheimensem Conjugis sue fratrem, qui primus Marchio Brandenburgensis est factus. Vid. Calvis. in Chronol. fol. 530.

V. SIGFRIDUS Marchio domitis, devictis & fermè oppressis populis Vandalorum Barbaris nil aliud egit, quam ut fines affinis felicitate & fortitudine partos traditos sibiq; commissos in eo statu, quo acceperat, conservaret, cui rei præ reliquis intentus quoq; fuit & possedit eam ditionem donatam no-

venerem annos ab anno à Christo Nato 927. usq; ad annum  
946. in quo ut Historicorum quorundam relatio est vel ab  
*Henetis* cœsus est, vel naturali morte decepsit: Vivis vero ex-  
cessit circa primordia OTHONIS M. sui ex Sorore MECHTILDE  
*Nepotis*, qui dum difficultia & periculorum plena initia gubernationis haberet; exorsus enim est à bellis domesticis, quæ  
undiq; se tanta commoverant, ut tota *Europa* videretur in  
caput & perniciem OTHONIS conspirasse, Marchionatum Bran-  
deburgicum vix sub sua potestate retinere posse videbatur,  
constituit nihilominus GERONEM Marchionatu *Lusatiae* à Patre  
HENRICO donatum eodem anno, quo SIGFRIDUS Marchiam  
Brandenburgicam acceperat.

VI. I GERO Sigfridi masculis hæredibus carentis successor  
ab OTHONE M. institutus adversarium competitorem Marchio-  
natus Brandenburgici ante se vidit, & bella moventem cognovit  
*Tangwardum* HENRICI Aucupis Filium Naturalem, unde Ge-  
ro Dominum implorans facile eum commovit ad ferendum  
auxilium præsertim quoniam succumbente & deficiente Ge-  
rone ab Imperatore constituto Ipsa Imperatoria Majestas im-  
minui videretur, sequenti ergo anno à similitate in inimici-  
tiam à jurgio ad prælia de ventum est: *Tangwardose* adjunxit  
*Eberhardus* Dux Franconiæ odio & invidentia OTHONIS, inq;  
belli societatem pertraxit *Giselbertum* Lotharingiæ Ducem  
simulatâ pollicitatione inductum in spem Regni. *Eberhardus*  
armatus suis & sociis auxilio venturus *Tangwardo* obfesso  
*Mersburgi*, vel ut alii volunt, *Brandeburgi* à copiis OTHONIS  
initinere expugnata arce, quam scriptores nominant Basilicam  
cepit Henricum Ottonis fratrem & captivum abduxit *Pencerus*  
*in Chronic. Carionis lib. 4.*

VII. GERO hic Filius fuit ERVINI Comitis Mersebur-  
gensis & Altenburgensis primus Magdeburgensium Burggravius &  
Marchio *Lusatiae* antea constitutus, fidelem operam OTTONI  
MAGNO contra BOLESLAUM Bohemorum Principem præstite-  
rat, quem diu solus ab imperii finibus arcuerat, donec ex sua  
aliorumq; stirpe præstantiores caderent, quo facto opem  
Imperatoris implorabat post varia superata pericula  
dein

dein appropinquantis. Solus itaq; hic GERONIUS heros bellicosissimus ab OTTONE MAGNO dignus habitus est, cui Marchionis Brandenburgici nomen & dignitas cum ditione cederent; Hanc autem nominis celebritatem vivo adhuc HENRICO Imperat. pepererant varii casus, in quibus peculiarem felicitatem natus erat; Quare in tanto intricatissimarum rerum statu circa Initia Imperii OTTONIS solus hic illum se praestitum opinabantur, qualem sapientius omnes cognoverant.

VIII. GERONIUS successit BRUNICO Filius BRUNONIS, nepos FRIDERICI, trinepos WITEKINDI Burgravius Soraborum, qui illam partem terræ supra Albim usq; ad montes Sudetes versus meridiem, ab ortu vero ad caput Suevi fluminis, ab occasu ad confluentem Albis ac Salæ incoluerunt, ubi hodie est Lusatia Superior, Misnia tota & Principum Saxoniæ Superioris ad Hercyniam sylvam ditio, collata est ista dignitas ipsi opera OTTONIS I. qui Bruniconis virtutem in eo bello, quod Eberhardus Franconiæ Palatinus & Princeps aliorum Principum imperii auxilio stipatus Imperatori fecerat imperio illum exuturus, quod, qnoniam vi & vitibus efficere non posset, infidiis & dolis deniq; tentavit; sed irrito conatu. Variis discriminibus superatis BRUNICO è vivis excessit quatuor relictis Filiis MENFRIDO, HERMANNO, SIGHARDO & HUGONE, à quibus Brandburgi in monte Harlungorum, qui nunc ab Aede B. Mariæ virginis sacra nomen à Deipara accepit, sepultus est.

IX. Ex quatuor BRUNICONIS Filiis relictis duo illustriores reliquis historicorum monumentis celebrantur HUGO & SIGHARDUS; Ille Marchionatus Brandenburgico donatus & paullo post quoq; Vicarius Imperatoris OTTONIS & Marchiæ Thusculanæ in Hetruriâ constitutus, totius Italiæ Praeses & Gubernator fuit, præclaramq; laudem fidelitatis undiq; meruit: Memorabile est exemplum fidelitatis in Imperatorem, cuius tristissimum casum tum cognoverat, qui ei Romæ adventanti & quartum in Italiam abeundi contigerat; dum milites ipsius miserandam stragem à seditionis subditis perpetrari fuerant, &, ni Imperator fuga salutem in Capitolio quæsivisset, idem sensisset; Et ne expers periculorum majorum metus esset Capitulo

lum in obsidione tenuerunt illum captuti, ut servitutis iugum  
quo se circumdatos opinabantur, expedirentur: HUGO his  
cognitis Romam properanter abit, & cum mentes populi  
exacerbatissimas gladio compesci non posse intelligeret, leni-  
tati studet, arbitrii jura à S. P. Q. R. inter se & Imperatorem  
sibi permitti & petit & postulat: His ad deliberandum pro-  
positis omni populo, OTTO Imperator obsidione se extricat &  
habitum mentitus urbe Romana Roma nesciente cedit relicto  
arbitro HUGONE, cui diras Romani precabantur, quæ vero  
modestia Hugonis ejusmodi sermocinatione reprimebantur:  
*Satis esse Dominum suum etiam cum periculo vita liberare, quam*  
*in discrimine vitae ex metu periculorum relinquere.* Mortuus va-  
riis rebus adversis superatis Pistorii nullo reliquo hærede & Flo-  
rentiae Hetruscorum sepultus est.

X. SIGHARDUM BRUNICONIS Filium, HUGONIS Fratrem  
Vicarium Marchionatus absente HUGONE fuisse ex Historicis  
colligitur; Vixit hic tempore OTTONIS III. Sedem habuit  
more Prædecessorum Brandenburgi, Filium genuit DITERICUM  
& Filiam THETBERGAM postea DEDONI I. Marchioni Misniae in  
matrimonium collocatam; Filio post excessum ex hoc mundo  
vivus ab Imperatore Marchiam Brandenburgicam impetravit,  
qua adepta Vandalis Christiani nominis hostibus occultis in-  
fensor esse cœpit, & nemo odio vehementiori unquam exarsit,  
quippe exactionibus illos fatigavit & HENRICUM II. Imperato-  
rem eo consiliis & persuasionibus aegrit, ut binos Vandalo-  
rum Principes in Lusatia Marchiones bello infestantes postea  
captos suspendio multare præcipiteret; BERNHARDO Duci  
Saxoniae & Lunæburgiae conjugium filiae cum Mestibojo Rege  
Obotitarum Vandalorum ineundum disuasit, licet jam ex  
parte aliqua contractum, & ex sententia Mestiboji ratum puta-  
batur, qui hac opinione ductus equitatum magnum cum Bern-  
hardo & Imperatore in Italiam miserat: At BERNHARDUS ex  
Italiâ reversus generum futurum repudiat ex instinctu hujus  
Diterici, qui hunc Regem *Canem Vandalicum*, ut verba ipsius  
erant, indignum hoc conjugio arbitrabatur; Quare ita Mesti-  
bojus irritatur, ut latratum Diterici & Bernhardi auribus  
terri-

terribilem nunciaverit, injuriam ulturus Saxoniam crudelis-  
sime vastat, Hamburgum & Stargardensem Episcopatum  
evertit, sacerdotes trucidat, quibusdam verticem in formam  
crucis discindit & spectandi gratia per oppida dicit. Dite-  
ricus ditione exuitur, Brandenburgum à Vandals oppugnatur  
& expugnatur. Bernardus quidem ope Saxonum Vandals  
tandem repellit, pacem cum eis pangit ut potuit; sed Bran-  
deburgum recuperare, & religionem Christianam ipsis per-  
suadere denuò non potuit, quam satis frigide antea colebant.  
*Ditericus Magdæburgum concessit, & cum, unde viveret, non  
haberet Episcopiliberaltate Canonicatum accepit ex quo ad  
dies vitæ vietum & amictum indeptus est. Spangenberg. Dres-  
serus in hist. Universali Germ. Cranzius lib. 3. Vandal. Calvisius in  
Chronol. Bucholzerus in Chronol. Georgius Fabricius in Saxonia  
lib. 2. Helmoldus cap. 24. Brotufius in Chron.*

XI. DITERICO successit ex Sorore *Thetburga* nepos DITE-  
RICUS II. *Dedonis Comitis Wettinensis Filius Burggravius Sora-  
borum*, qui plurimum apud HENRICUM II. Imperatorem valuisse  
& amantissimus CUNIGUNDÆ Conjugis Imperatoris fuisse di-  
citur, cuius operâ & intercessione apud Imperatorem natus  
est Comitatum Eilenburgensem & Seuselizensem cum Digni-  
tate Marchionatus Brandenburgici, quod nomen tum tempo-  
ris mutatum est ex oppugnato & à Vandals expugnato Bran-  
deburgo & nomine Marchionatus Landsbergensis indigitum  
est; Variis deniq; rerum discriminibus & periculis  
superatis in manus Sicarii incidit, qui cum in cubiculo con-  
fecisse dicitur.

XII. DITERICO II. successit DEDO Marchio Lusatiae &  
Landsbergi, Comitatus possedit Henburgium, Brenensem, Cam-  
burgium secundis nuptiis sibi associavit ADELA Braban-  
tinam origine antea Thüringiæ Marchioni nuptam, quam ea  
opinione matrimonio sibi junxerat, ut mariti ejus demortui  
ditione potiretur, ex quo ADELA nullum superstitem ha-  
bebat hæredem; Instigatus ergo à conjugé & benevolis Thü-  
ringis terram eorum in Fendum ab Imperatore petiit: sed  
Imperator Saxonum libertatis hostis metuens viri fortis &

B

gratio-

gratiosi potentiam, consentire noluit. Mariti animum cupi-  
dum quovis viro animosior ADELA incitabat & Thuringi Im-  
peratori Iracundi, quia Sigbertum Antistitem Moguntinum  
defenderet exactionibus importunum atq; iniquum, DEDO-  
NIS causam approbabant. Itaq; Imperator exercitum in  
Thuringiam ducit adjutore Moguntino, qui odium in gentem  
privatum occasione belli publicâ uelisci cupiebat. Thuringi  
per legatos HENRICUM Imperatorem adeunt: suam æquita-  
tem & rogata exponunt, obedientiam in omnibus pollicen-  
tur, legibus priorum Imperatorum contraria sese præstare,  
nec cum discrimine vitæ velle edicunt: Satius esse mori re-  
putabant, quam ad conditiones iniquas cogi. Imperator hic  
dubiè, vel magis simulate respondet, nihilominus militibus  
Thuringiam occupare præcipit, parte aliqua terræ occupata  
timorem tantum injicit, ut DE DO subjectionem sponderet,  
& Imperatori fidem promitteret; At spe excidit & tandem à  
filio Patri cognomine afflatus in exilium concessit, in quo  
mortuus dicitur.

XIII. DITERICUM II. secundus est THIMO filius, HEN-  
RICO IV. in Sagâ & Toga ob fidelitatem, & fortitudinem sin-  
gularem commendabilis, quibus Marchionatum Misniæ  
post mortem Dedonis à ministro in arce Beichlingensi con-  
fecti ab Imperatore comiseruit. Hic THIMO conditor est  
stirpis Marchionum Misniæ, quæ paulatim aucta, illustra-  
taq; opibus, autoritate potentia, libertate venarum Metal-  
licarum & accessionibus Thuringia, Saxonie atq; dignitatis  
*Electoralis*, magnam consecuta est celebritatem, virtute præ-  
cipue, sapientia, moderatione & justitiâ, quorum exstant  
documenta pulchrè constituta judicia, Respubl. honestis-  
simis legibus ornatæ, Scholæ & Ecclesiæ florentes doctrinâ &  
disciplinâ, Gens exulta literis & humanitate. Bohemi qui-  
dem sub id tempus Misenam in sua potestate tenuerunt; Ideò  
THIMO, præmium illud ab HENRICO IV. quod istius castra  
secutus fuerat, concessum statim à die donationis adipisci  
nequivat; sed demum id post obitum Filii & Nepotis  
Henrici I. & II. CONRADUS Filius THIMONIS post plures annos  
impe-

imperante LOTHARIO indeptus' est. T H I M O tandem cum fide-  
lem operam suam denuò , Imperatori probare laboraret in  
oppugnatione arcis cuiusdam cadit relictis hæredibus , qui-  
bus ex clementiâ Imperatoris ditio virtute patris acquisita  
cessit.

XIV. CONRADUS patre fatis fundo *Marchio Landsbergæ*  
creatus est , *Comes Wetthini & Eulemburgi* , qui pulsis è Misniâ  
*Bohemis* operâ Imperatoris LOTHARII Marchionatum Misniæ  
recuperavit olim ab Heinrico quarto Patre Thimoni donatum  
adjectis pluribus , quæ fuerant juris & ditionis Comitum  
*Wiperti Groicensis & Hermanni Bincebergensis* : Bis Expeditioni  
adversus Saracenos interfuit , quâ exactâ sacræ militiæ (ut  
dicebatur) adversus Vandalos ad fidem Christi cogendos no-  
men dedit cum Adelberto Episcopô Bremensi ; verum res  
cedit infeliciter , & Conradus Marchio Landsbergensis ab  
Henetis Vandalis in prælio occiditur , postquam annis 29.  
summa felicitate Marchionatibus Misnensi & Landsbergensi  
præfuerit .

## SECTIO II.

*Comitibus Stadensibus cedit Marchionatus Brandenburgia.*

Recitatur occasiō , quomodo factum . SIGFRIDUS  
primus ex illis creatur *Marchio* , quem sequuntur UDO  
I. UDO II. RUDOLPHUS I. & II. HARTVVICUS RU-  
DOLPHI II. frater Archiepiscopati Bremensi præfici-  
tur. Desinit linea Stadensis .

I. Circa hoc tempus Marchionatus Stadensis junctus fuit  
Marchionatui Brandenburgico : Annales tradunt : IDAM No-  
bilem fœminam natam fratre HENRICI III. Imperatoris ex Ger-  
mania Sorore BRUNONIS tum summi Pontificis Leonis IX. ex  
Sveciâ in Stadensem comitatum per hæc tempora pervenisse &  
in Elstorp habuisse , mortuo primo ejus Marito Lupoldo ,  
duobus post invicem nupsisse comitibus Thitmarsiæ , Dedoni  
& Ethelero albo quorum uterq; in Thitmarsiâ Comes , in ea-  
dem gente cæsus occubuit : Ex quibus nati filii magnam no-  
bilitatem posteritati reliquerunt , quâ decente Ide hæreditas

ad UDONEM Marchionem pervenit, qui comitatum Staden-  
sem tenuit. *Micraelius noster insigne Pomeraniae decus b. m.*  
refert SIGFRIDUM, SIGFRIDI filium HENRICI Calvi Atnepo-  
potem, qui tempore HENRICI Aucupis vixisse dicitur Comi-  
tatum Stadensem tenuisse UDONI I. in Marchionatu Brande-  
burgico antecessisse, ita ut ab eo tempore Brandenburgum &  
comitatus Stadensis in Unam coaluerint familiam, quæ duos  
Marchiones aleret, quorum alter teneret Brandenburgum cum  
appendiciis suis, alter comitarum regeret Stadensem cum  
Thitmarsia: Hic opponebatur hostibus Piraticam ad ripam  
fluminis Albis exercentibus; Ille *Vandalis Obotritis & He-*  
*netis*: Verum hæc coalitio familiarum demum Inchoata est in  
SIGFRIDI nepotibus.

II. SIGFRIDUS accepit immediate CONRAD O mortuo  
Marchionatum Landsbergensem, bella ab ipso gesta non re-  
feruntur, quoniam ipsius pater cum Danis Thitmarsiam in-  
festantibus in gratiam redierat. Perturbatissimus tunc tem-  
poris Germaniæ status cœpit esse, dum Germani instinctu  
Pontificis Romani contra HENRICUM IV. RUDOLPHUM eligunt  
Imperatorem: Ideoq; plurimi Principum neutrum sequn-  
tur & nihil memorabile geritur quilibet magis expectat unius  
partis fortunam & victoriam.

III. Alter ex linea Stadensi Marchio Brandenburgicus  
fuit UDO I. Nepos SIGFRIDI ex LoTHARIO filio, & RU-  
DOLPHI ex filia, memorabile hoc effecit quod Vandals Bran-  
deburgo ejecerit & ditionem DIETERICO I. administrante  
amissam recuperaverit. Dani Interea memores cladis, ab  
Avo ejus illatæ Vandalis auxiliares manus præbent & Udoni  
Brandenburgum extorquent, postquam commissio prælio viri-  
bus illorum imparem Udonem superasset, & superatum oc-  
cidissent.

IV. UDO II. Filius UDONIS I. continuavit bellum  
cum Vandalis Patris mortem ulturus eo usq; belligerando  
progressus est, ut Vandalis Brandenburgum opera CONRADI  
III. posteà Imperatoris & Archiepiscopi Magbæburgensis usus,  
rursus adimeret ut *Pencerus in Chronico Carsonis habet: Alter*  
*fuit*

suit ex Marchionibus Brandenburgicis, cui Burggraviatus Magdeburgensis cessit, cum Primum Burggraviorum secundum Marchionum Brandenburgorum ex historiis & annali- bus extitisse cognitum habemus: Burggraviatus Dignitas derivata est in ipsum post obitum socii sui DITERICI Comitis Plozkensis, ex cuius filia genuit DITERICUM filium Patris in Burggraviatu Magdeburgensi successorem.

V. RUDOLPHUS frater UDONIS II. Marchio Brandenburgicus heros fortissimus & bellicosissimus sub auspiciis LOTHARII Saxonis adversum HENRICUM V. belligeravit, interfuit illi memorabili pælio anno 1115. à Christo incarnato II. Febr. commisso cum exercitu in Welsphsholz quo Saxones vñtores attriverunt cōpias HENRICI Imperatoris & ex utrāq; acie 45. millia hominum desiderata sunt. *Helmoldus* de hoc ait: *Copias Cæsaris majores fuisse Saxonum cōpiis, atq; tres Saxones quinq; Cæsariānis oppositos fuisse in pugna.* Heros hic deniq; à rebellibus suis subditis in Dietmarsia, vel ut aliis placet in Comitatu Stadensi occisus perii.

VI. RUDOLPHUS Filius Successor in Patria ditione & dignitate Dietmarsis bellum fecit, ut Patris mortem ulciseretur & de reis supplicium sumeret; Verum quoniam communis causa agebatur, communibus armis Dithmarsi se huic oppo- suerunt in subsidium invitatis Frisiis & Bremensibüs; ast infelici & planè irrito ex divini numinis auspicio, conatū. Nam delapsis in sua exercitibus, divisisq; cōpiis, RUDOLPHUS Comes Thietmarsiae & FRIDERICUS Palatinus ex eodem agmine Bremam ducunt: Nihil tale opinanti Civitati supē- veniunt; at Thietmarsi infrenis populus tum jugum domi- nationis excusserunt, invidentes tanti Heronis virtuti, Rodolphum in Thietmarsia occiderunt. Testimonium Crantz lib. 6. cap. 18. in Metropoli hoc est: *Per hæc tempora comitatum Thietmarsiae Marchionatus subditum RODOLPHUS RODOLPHI Filius Marchio Marchionis regebat & per insolentiam habitatorum ut Pater cœsus interiit.* Idem Crantz. lib. 6. Saxo, cap. 11. plu- zibus videri potest.

VII. RODOLPHUS fratrem indeptus erat HARTWICUM, qui post fata ejus egit apud ALBERONEM Ecclesiam Bremensis Archiepiscopum, ut concessio patrimonio suo Ecclesiae (erat enim legitimus haeres & successor in Thietmarsiam) perficeret, ut in perpetuum is dominatus apud Ecclesiam remaneret: ipsi vicissim, quoad viveret Comitatus Stadensis, quem jam libere tenebat Ecclesia, permitteretur. Placuit utriusq; commutatio & roborata est auctoritate Cesaris, qui Palatinum HARTWICO dedit defensorem. Sub id tempus HENRICUS Leo puer HENRICI Superbi Bavariae Ducis Filius controviam movit de Comitatu Stadensi & Dithmarsia, & per consiliarios suos querimoniam excitavit Archiepiscopo Alberoni coram Imperatore eo, quod Archiepiscopus pollicitus diceatur Henrici matri, ejusq; haeredibus defuncto RODOLPHO comite Stadensi comitatum Stadensem. Ad hanc controviam spondam ab utraq; parte sunt delesti, & Cesar ad eam tollendam indixit partibus conventum in Rameslo. Praefecit Imperator suo loco tractatibus habendis THIETMARUM Episcopum Verdensem, ALBERTUM dein Marchionem, HERMANNUM de Winzenborg & HENRICUM de Dasle Comites. Archiepiscopus cum suis factum defendit, dux cum Consiliariis impugnavit. Et ubi nil inter dissidentes componitur, Satellites Ducis HENRICI ad arma concurrunt Archiepiscopum captivum abducunt in arcem Luneburgi, deniq; diuturno temporis tractu in custodia detentum dimittunt. HARTWICUS Praepositus in manus Hermanni de Luchow Nobilis Viri iucidit, qui eum ALBERTO postea Marchioni tradidit, ALBERTUS quoniam HARTWICO propinqua cognatione junctus erat acceptum cum honore in sua & ad suos remisit. Crantz lib. 6. Metrop. & lib. 6. Saxon. Mortuo ADALBERONE Archiepiscopo HARTWICUS Archiepiscopus à Bremensibus eligitur & Stadensem comitatum Capitulo reddit, litigium interea manet alta mente repostum usq; ad mortem ejusdem Henricus collecto exercitu Diethmarsiam & comitatum Stadensem invadit, Thietmarsos subjugat, Stadam urbem vi, adjacentem terram ditione capit. Ulterius pro-

progressus Vandalis Slavis bellum facit, qui Christianam fidem nondum agnoscebant, & victor eo usq; adegit ut iuramentum fidelitatis præstarent & Episcopos eodem jure obstrictos reciperent. HENRICUS Leo quidem nec solus nec primus bellum intulerat Vandalis, siquidem in expeditione Vandalica priori fuerunt Antistes Magdeburgius Præfatus Alberto Hamburgiis, Wigmannus Numburgensis, Rudolphus Halberstadius, Monasteriensis, Mersburgius, Brandenburgius, Havelburgius, Olomucensis, abbas Corbeiensis. Duces & Principes cum eo Conradus Zaringius, Conradus Marchio Misnensis, Albertus Marchio postea Brandenburgensis, Fridericus Sommerseburgius Saxonæ Palatinus, Hermannus frater ejus; Verum cum Nicloti Slavici Ducis virtus & celeritas efficerent, ut Saxones rem insectam relinquerent: prius enim bellum ab eo finitum, quam à Saxonibus illatum est, altera vice Henricus Leo Vandalo invadit solus & superat. Cum verò prospera omnia HENRICO Leoni contingenter, subacta Wandalia & fœdere amicitiæ cum WALDEMARO Dano inito ceperit illum superbia pettentare, insolentia tantam gloriam & felicitatem infuscavit, deniq; seqvita est invidia gloriae comes. Immensis divitiis locuples, clarus victoriis, in gloria propter geminum principatum sublimis, omnibus Saxonæ Principibus intolerabilis est visus. Sed manus principum formido Cæsaris continuit, quem Romæ ex seditioni populi manibus liberarat occisis ex rebellibus 1116. Alia vice Imperator HENRICUM Leonem ad rebelles coercendos in Italia invitavit, qui more auxilium Imperatori ferentis accessit, verum cum non omnia geri ex sua sententia intelligeret in obsidione Alexandriae Imperatorem maximis undiq; angustiis circumventum deserit, quo irritatus Imperator Germaniam repetit, Henricum ut coram se in judicio compareat, citat; ast Henricus male sibi conscius conspectum Imperatoris fugit, judicium metuit. Quare Majestatis reus proscribitur ejusq; terra distribuitur inter alios Germaniæ Principes, Imperator F R I D E R I C U S Palatinatum O T H O N I Witelsbachio concessit, Saxonæ partem cum ducis titulo BERNARDO AL-

BERTI

**S**ERTI Ursi Filio, illi propter virtutem propriam huic ob virtutem Patris in bellis Imperatoris præstitam.

**VIII.** Eodem fere tempore, cum in Marchionatu Brandenburgico de certo successore non constaret **CONRADUS Comes Plotzkenensis** Neomarchiam cum sede Landsbergâ sibi vendicat, Comitatus Stadensis relinquitur **HENRICO Leoni**, Marchia Brandenburgensis cessit supra laudato **ALBERTO**, qui novam Marchionum stirpem constituit: Additur huic gemina pars terræ, altera quam **CONRADUS Comes Plozkensis** tenebat, altera **PRIMISLAI Vandalorum Regis**, illam **CONRADUS** sine hærede fatis fundo indultu Imperatorio accepit; Hanc ut hæres ad se pertraxit. Nam **PRIMISLAUS Vandalus** ad Religionem Christianam conversus Albertum adoptasse & ditione, quam olim permisso Imperatoris suam fecerat, donasse dicitur. *Peucerus lib. 4. Chron. Car.* Seniò confesus **PRIMISLAUS** cœpit de damnis sœpius Christianis illatis cogitare, & ut aliquid remunerationis loco antea afflitis cederet **ALBERTUM Ursum** terra ista donavit, qua maximè Vandali & Heneti Christianis nocere poterant vid. pluribus **Lambertus Schaffnaburgensis de rebus Germanicis** à cum iappendice. *De Marchionum Brandenburgorum Antiquiorum rebus gestis* vid. *Luitprandus de rebus gestis suo tempore*. **Helmoldus Canonicus Buzoviensis in Historia Henetorum in Germania ad littus Balticimaris converforum**. **Witekindi Historia**, **Albertus Crantzius in Saxon. Vandalia, Dania & Metropoli**. **Georgius Fabricius in Saxonia**, **Johannes Aventinus in Annalibus Bojorum**, **Andreas Angelius in Chronico Marchico**, **Calvisius, Bucholcerus in Chronologia**, **Chytraeus in Saxonia & plures alij**.

Tantum.

**S. D. G.**

D. D.  
DISSERTATIONEM HISTORICAM  
POSTERIOREM,  
*De*  
**Illustribus Brandebur-**  
**giæ Marchionibus,**  
*Eruditorum sententiis exponunt*  
**M. CHRISTIANUS Schulz/**  
*Zanov. Pomer. P. L. C.*  
*Eq.*  
**JOHAN- GEORG. à Below/**  
*Eq. Pom.*  
*ad diem 7. Julij, b. l. q. Consu.*

SECTIO III.

*De Illustribus Marchionibus  
URSINIS.*

ALBERTUS URSUS Comes Ascaniae primus ex hac  
stirpe Marchio Brandenburgicus. Unde dictus Ursus. Con-  
dedit tria in Marchia oppida à SE dicta. PRIMISLAUM  
Vandalum bello superat. Ad aequas conditiones pacis descer-  
dit cum HENRICO Leone. Trium Familiarum Illustrium  
conditor. Ejus Posteri Marchiam diu tenerunt. Pluribus  
aliis mediantibus ad Illustres Comites Zollerianos Marchia  
devolvitur. A Comitibus Zollerianis Serenissimi Nostris  
ELECTORES BRANDenburgici. Origo insignium Saxo-  
nicorum. Moritur ALBERTUSTRIBUS reliquis Filiis.

C

I. ALBER-

I. ALBERTUS Comes Ascaniae, Soldwedeli, Anhalti &  
Rallenstedij ex antiquissima stirpe Comitum Ascaniae, quæ sola  
terè vetustissimum gentis suæ nomen ortum à Veteribus Asca-  
niis, qui ad Hercyniam incoluerunt, conservavit, cognomen-  
to Ursus, vel quod ipsius antiquissima stirps Principatum  
Ursini in Italia meruera; vel quod ex Ursinis Nobilibus Ro-  
manis Prognatus, quibus Imperatores nostri Italiæ guberna-  
tionem cōmittere consuerant: Nam Ursinos Nobiles Romanos  
refert H. Mutius lib. 23. Chron. Germ. aliquando cum auxiliatibus  
Robertii Siciliæ Regis Cōpiis Adriani molem, Capitolium,  
Janiculum omnesq; Transtiberinas munitiōes, firmis p̄t-  
sidiis tenuisse, omninoq; constituisse Roma excludere HENRI-  
CUM Imperatorem & Germanos. Fama ipsius studio sapien-  
tiæ, felicitate & clementia p̄ primis parta penes omnes Histo-  
ricos in summa celebratione versatur. Undiq; virtus ejus in  
Togâ & Sagâ illuxit orbi, Marchiam suam urbibus Berwalta,  
Bernavia, Berlino adauxit, quas à Se nominasse creditur; In  
Sagâ junctus HENRICO Bavarо p̄ reliquis virtute emicuit,  
Slavorum Vandalorum familias, quod religionis Christianæ  
professione repudiata latrociniis crudelibus vicinos Christia-  
nos infestare non desinerent, longis continuisq; bellis magna  
ex parte extirpavit, PRIMISLAUM ad æquas pacis conditiones  
adegit.

II. Antehac bellum fecerat HENRICO superbo & Leoni  
Filio, illi quod reposceret Marchiam à CONRADO Suevo Im-  
peratore donatam, huic quod post fata Parris consentiret:  
Hoc verò cruentum bellum à Friderico poste à Imperatore  
compositum est his conditionibus: ALBERTUS Ursus  
contentus possessione Marchie Brandenburgensis & superiore Saxonia  
abstineret ab Inferiore: Tota Inferior Saxonia, cederet HENRICO  
LEONI. Quibus ita transactis in Henrici Leonis intimam  
amicitiam pervenit & auxiliis sociis ad arma adversus Wanda-  
los aliosq; descendit.

III. Conditorem Hunc memorant Historici omnes  
trium amplissimarum familiarum in Germania priorum Saxo-  
niæ Ducum, Marchionum Brandenburgium, & Princi-  
pum

pum Anhaltinorum, Duces Saxoniæ antiquiores usq; ad ALBERTUM III. Electorem ab hoc ALBERTO Urso descendunt, qui Ducatum illum hæredibus destitutus ad ERICUM Ducem Lauenburgicum transmittere cupiebat; Verum intercessione SIGISMUNDI CAROLI IV. Filii exclusis ERICO & DOMO ANHALTINÆ Ducatus iste FRIDERICO Bellico Landgravio Thuringiæ & Marchioni Misniæ traditus est. Marchiones Brandenburgici continua seriè ab Illustrissima hac ALBERTI stirpe descenderunt usq; ad WALDEMARUM sine prole defunctum, à quo Marchionatus Brandenburgicus ad Comites Zollerianos Burggravios Norimbergenses derivatus est; Nam cum LUDOVICUS Bavarus Imperator feudum Marchiæ vacans, filiis suis LUDOVICO, & duobus aliis ordine contulisset & fictius quidam Waldemarus, vicinorum Principum Bavaris inadvertum consiliis & opibus adjutus, sibi illius possessionem armis vendicaret; variis bellorum vicibus Marchia agitata est, donec sub CAROLO IV. qui eam ab OTHONE filio LUDOVICI Bavari pecunia redemit & anno 1376. Tangermundæ arcem condidit, aliquantum acquievit. Postea SIGISMUNDUS CAROLI Filius Imperator creatus FRIDERICUM Noribergensem Burggravium Comitem Zollerianum, stirpem præsentis familiæ Sereniss. Electorum Brandenburgensiu, Gubernatorem Marchiæ præfecit: eiq; sexennio post, in Concilio Constantiensi Feudum Electoratus Brandenburgici solenni ritu contulit Vid. Johannes Cernitius in Genealogia Sereniss. Elector. Brandeb. Modern. D. Chytraus in Saxon. fol. 38. & 39. B. Micraelius in Hist. Univ. Tit. de March. Brand. in descript. Pom. lib. 2. & Historici Germani omnes.

IV. *Domus Anhaltina in Bernardo incepit magis magisq; florescere, & post obitum ejus in Henrico Seniore, Ille de Ducatu Saxoniæ à Friderico in conventu Herbipolensi HENRICO Leone exautorato investitus ad Pedes Imperatoris FRIDERICI, à quo Saxoniam impetraverat, orabat, ut aliquo à Fratribus discrimine Ducatus sui ratione insignium insigniretur; Tum Imperator, ut erat coronatus per æstum, rufaceam coronam injecit ex obliquo supplicantis clypeo, quæ*

transversis lignis stratoriis atroq; gilvoq; colore variatis ad-  
dita fuit, ut hodie in insignibus Saxoniciis videre est. *Fabricius*  
*& Cranz.* in *Sax.* Decessit anno à Christo Incarnato 1186. secun-  
dum Abrahami Bucholzeri supputationem relictis tribus Filiis  
Ottone, Bernardo, Sigfrido Ecclesiæ Bremensis postea  
Episcopo.

## SECTIO IV.

OTHO I. celebris est ob fidem Imperatori præstata. Bellum  
fecit CANUTO Daniæ Regi. Superat Danum. Condidit  
Monasterium Leninense. Sepultus est illuc. OTHO II.  
interfuit expeditioni tertie in terram sanctam. Archie-  
piscopum Magdæburgensem & Episcopum Halberstaden-  
sem ad conditiones pacis adegit. Belligeravit cum  
Fratre ALBERTO. ALBERTUS controversiam de limi-  
tibus Pomeraniae movit DUCIBUS. JOHANNES &  
OTHO III. iterant bellum cum Pomeranis. Pax redin-  
tegratur. Societas conjugalis ab utraq; domo initur.  
Archiepiscopus Magdæburgensis ansam præbet bello  
cruento. JOHANNES II. hypothecæ nomine Ducatum  
Crosnensem certa argenti summa conditionibus additis  
accipit. OTHO IV. Tutor WENCESLAI Bohemicæ  
Regis Minoris. ERICUS post varios casus Archiepisco-  
patui Magdæburgensi præficitur. OTHO cum telo dictus  
moritur Templini. CONRADUS Dantiscum occupat.  
JOHANNES III. FRIDERICUM admorsum & DICEMAN-  
NUM Marchiones Misniae bello lacescit WALDEMARUS I.  
continuat bellum cum Thuringis. FRIDERICUS capitur.  
Liberatur à Rehfeldiis, qui ob id transnominati sunt.  
WALDEMARUS II. ultimus stirpis Ursinae Marchio.  
Moritur sine heredibus.

I. OTHO Filius Marchiæ Brandenburgicæ Dominus, BERN-  
HARDUS Anhaltinus Possessor à morte Patris auctoritate Im-  
peratoris constituitur, hos duos bellica virtus, Fides in Imperatorem  
& merita in Patriam ad magnam evexerunt potentiam, verba sunt  
Penceri lib 4. Chr. Carionis. Otto bellum fecit CANUTO VI. Daniæ  
Regi,

Régi , cui ansam præbuit CANUTUS inter Bure Winum & Niclotum Fratruelos Vandalos arbiter electus , dissidentes vi compescit , ditionem partitur , sibi servans superioritatem in utrosq; Hanc rem non æquo animo ferens OTTO Imperatori fidissimus Datum verbis à proposito aveftere conatur & jure agendum remq; dirimendam suadet ; Ast jure denegato salutem in ferro superstitem esse & justitiam in armis versari cognovit , prælium collecto milite cum Dano iniit , victor & triumphator Plurimos Danorum captivos abduxit , quibus accensebatur Petrus Episcopus Roschildensis à Marchione , quod Clericus erat , indulgentius habitus , Carcere itaq; unâ cum custode corporis in suas allesto partes , se expedivit non sine subsannatione Marchionis Victoris , inter occisos inventus est DURBERNUS Episcopi Petri Frater alter agminum ductor . Facto prælio OTTO ulterius progressus Vandaliam Danicam subsua jura redigisset , nisi ADOLPHUM Comitem Holsatiæ alii hostes à signis OTTONIS avocassent . vid . Cranzius lib . 6 . Vandal . cap . 37 . WICHMANNUM Episcopum Magdæburgensem ditiones suas pententem infesto bello repressit , deniq; pacem precanti dedit reliquum vitæ tempus quieti dulci consecratus . Condidit itaq; monasterium Leninense prope Brandenburgum , in cujus vestibulo in monumento quodam conspicitur effigies OTTONIS I : & historia cœdis Siboldi primi Abbatis à Slavica gente occisi hoc addito disticho :

*Marchio Primus OTTO Brandenburgensis alumnus*

*Hic statuit Mariæ religionis opus.*

Sepultum illic esse Veterum annales produnt , & versus in temulo cœnobii supra collocati hisq; verbis expressi :

*Hic jacet iste bonus Margravius ecce Patronus*

*Istius Ecclesiae sit precor in requie.*

II. OTTHONIS II. Nepotis ALBERTI URSI ex OTHONE I. nomen memorabile est in historiarum monumentis ex eo præ- primis ; quod tertiaz isti memorabili expeditioni in terram sanctam interfuerit cum FRIDERICO I. & FRIDERICO II. Filio , PHILIPPO Galliæ & HENRICO Angliae Regibus , in qua FRIDERICUS in balneo aquæ frigidæ , quo ob intolerabilem Armeniae æstum

in spem refrigerii usus dicitur, extinctus est. **Burchardum** Archiepiscopum Magdæburgensem stipatum auxilio Episcopi Halberstadiensis *Meineri* redintegrantem antecessoris bellum sustinuit fortiter & ad æquas pacis conditiones adegit, cum Fratre Alberto ad arma descendit & uterq; collecto exercitu aciem instruit, in qua OTHO viCTOR ALBERTUM cepit, captum carceri adjudicat, quo tandem sponte liberat & successorem ditionum suarum constituit. Chronic. March.

III. ALBERTO II. OTHONIS II. Fratri successori perpetuum bellum fuit cum duobus Pomeraniæ nostræ Ducibus BOGISLAO II. & BARNIMO I. ex his causis, quod nostri Duces limites terrarum suarum excedere viderentur & partem ditionum Marchicarum ad se pertraherent; Leves tantum pugnæ sunt commissæ excursionibus crebris duabus ex munitis arcibus Aderbergensi Brandenburgica & Kenicensi Pomerana; At quia fervente flammâ Duces fatis concederunt, lites direptæ fuere à WARTISLAO III. & BARNIMO bono hac conditione; Cederent Marchioni fines isti, quos suos putabat, Pomerani Duces omnibus juribus in ditiones illas renunciarent.

IV. JOHANNES I. & OTHO III. Fratres ALBERTI II. Filii novo bello in Nostros Pomeraniæ Duces BARNIMUM bonum & WARTISLAUM III. insurrexerunt, quod Pomerani Confœderatis Marchionum Polonis scilicet bellum fecerant; Ex hac causa JOHANNES I. & OTHO III. Pomeraniam invadunt illam, cui nunc Neo-Marchiæ nomen indiderunt, terram incolis perterfactis sibi vendicant. Cum vero diuturni belli facies appareret & Duces antea victi iterum victores evaderent, res eo tandem traducta est, ut JOHANNI BARNIMI *Filia in uxorem elocaretur* & jure Dotis illas partes Pomeraniæ possideret, quas antea in Neo-Marchiâ & Ucaro jure gladij suas fecerat. His ita transactis inter utramq; domum amicitia videbatur facta esse æterna, in ejusq; firmius vinculum BARNIMUS tertium nuptias meditans OTTONIS Brandenburgici Filiam Mechtilden SIBI, & Filio BOGISLAO IV. JOHANNIS Filiam conjugio stabili junxit.

V. Postea

V. Postea recrudere bella inter Magdæburgensem Episcopum & Halberstadiensem, atq; inter JOHANNEM II. & OTTONEM III. ex altera parte, quorum autor fuit HENRICUS Landgravius de Coppenico & Mittevalda certamen movens, quæ controvetsia cum componi inter ipsos nequiret, ne majoris belli daretur occasio Wilibrandum Antistitem Magdeburgicum JOANNES arbitrum dat: qui ad causæ exitum oppida suscipit, suisq; præfectis committit: lité autem nondum plane dirempta Wilibrandus ea HENRICO tanquam justiori, ut putabat, possessori assignat. Hinc, quoniam injustè causam cognosci JOANNES perciperet, ad armamentum & varia fortuna pugnatum est: Marchio ab Halberstadiensi sub HENRICO & WILIBRANDO militatite captus corpus & libertatem pecunia redemit: Deinde Marchiones superiores in alia pugna discedunt Archiepiscopum Magdæburgensem fugant, Halberstadiensem capiunt, qui instar OTHONIS antea captivi in custodia habitus est & detentus. Magdeburgius novo exercitu collecto denuo OTHONEM bello lacepsivit, ast repessus & tot cladibus fatigatus pacem desideravit & facile ab Othono impetravit, duobus militibus ad monomachiam litis tollendæ ergo admissis. Otto bellicosus ad Bohemiæ Regem ODOACREM militatum denuo abiit, ubi decepsisse eum aliqui referunt. Vacante Imperio post WILHELMUM Comitem Hollandiæ ante Rudolphum Habsburgensem OTTONEM III. Marchionem ad fasces capessendos invitatum & vocatum fuisse; Sed onus illud & honorem declinasce, quod alijs sanguine & ferro querunt, quippe qui primus intellexisse videtur, quanto maius sit regnum fastidire quam accipere, refert B. noster Micraelius in Histor. Univers. lib. 3. Sect. XII.

VI. JOHANNIS II. JOHANNIS I. Filii potentiam divitiis & fortitudine junctam cognitam satis habuerunt Silesii interq; eos Vratislavienses ulturi injuriam à BOLESLAO Calvo seu Sævo Principe Lignicensi illatam, favorem ejus ambierunt & quoniam bello gerendo sumptus requirebantur, ditionem Crosnensem Hypothecæ nomine tradiderunt Et pro aureorum quatuor milibus ea conditione, ne Sece Boleslao Sævo Lignicensi  
junge-

jungeret. Finito bello JOHANNES Marchio Ducatum Crosnen-  
sem reddidit Henrico probo Vratislaviensium Duci postquam  
aureorum sex millia exolvisset. *Joachimus Curæw in annal. Siles.*  
Duos insuper habuit fratres OTTONEM IV. & ERICUM, quorum  
ille WENCESLAI Regis Bohemiæ adhuc minoris tutelam in  
se derivaverat, eiq; majori autor fuerat ut magnam partem  
Regni Poloniæ sibi arrogaret, adjutus à Fratre JOHANNE PRI-  
MISLAUM octavo mense Regni, cum agitaret orgia Bacchi ex  
improviso oppressit & ob scelus ad inferos demisit. Marchio-  
nes victoria usi, magnam partem agrorum limitaniorum, ubi  
nunc est Marchia Nova, Polonis retraxerunt. *Boleslai Maso-*  
*viæ Ducis Marchiæ bellum facientis impetus fortiter sustinue-*  
*runt, Duçem cum milite fugam adornare coegerunt, ut vin-*  
*diciæ propter oppressum Primislaum à Boleslao tentatae irritæ*  
*redderentur. ERICUS Frater JOHANNIS & OTHONIS Archie-*  
*piscopali Dignitati Magdæburgensi inhiavit; at ausis & spe*  
*excidit propter copiam competitorum, & vulgum in se conci-*  
*tatum, inter competitores Güntherus Comes de Sualeñberg in*  
*id fastigium admovetur. Quapropter JOHANNES & OTHO*  
*contumeliam Fratri ERICO illatam ulturi collecto milite*  
*bellum Aichiepiscopo Günthero indicunt, quod, ut compesce-*  
*retur Magdæburgenses argento redimunt & restitutione sum-*  
*ptuum huic bello applicatorum periculo imminentे liberatur.*  
Tandem GUNTERUS sponte Archiepiscopatu sese abdicat  
curiositate secularium actionum circumventus abdicandus,  
*Bernardus Comes de Welpe surrogatus in locum Guntheri à*  
*plebe mitra privatur & dignitate exuitur, & invito Erico honos*  
*desertur omniumq; votis insignia accipit à Proceribus, qui*  
*plebem nolentem gladio ad imperata cogunt. Cranz. lib. 7.*  
*Vandal. cap. 37. Idem Crantzus lib. 8. Saxon. cap. 32. Othonem*  
*cum trecentis aliis in bello Magdeburgico captū & sine magno*  
*ære laxatum, Johannem telo in fronte in obsidione Stasforde*  
*percussum diuq; telum in capite gestasse refert. De posteriori*  
*brevibus notamus errorem memorati Crantzy in per-*  
*sona Johannis & Ottonis de hoc cognomen Sagittarii seu Mar-*  
*chionis cum telo Legimus non de illo. ERICUS & OTHO dein*  
*bella*

bella indixerunt ALBERTO Thuringiæ Landgravio defendendorum clientum gratiâ implorantium auxilia Archiepiscopi Patroni. OTHONEM deniq; TEMPLINI in Marchiâ Brandenburgica anno à Christo incarnato 1308. decepsisse ex antiquorum monumentis colligit Abraham Bucholcerus in Chronico suo.

VII. CONRADUS Frater OTHONIS IV. & JOHANNIS II. Marchio Gedanum à Polonis hypothecæ nomine acceperat, idè illuc proficiscitur & civitatem sub sua jura redigit, quam sub potestate sua diu tenuit, donec Barnimus viribus superior illam è manibus Marchionis extorqueret ut refert Historia Polonica. ALBERTUS Filius JOHANNIS II. BOGISLAO IV. BARNIMO II. & OTTONI I. Ducibus Pomeraniæ fortitudinem suam probavit, parte illa Pomeraniæ occupata, quæ protenditur Stargardiâ ad Oenum versus Poloniam & Neo-Marchiam, animum pacis amantissimum exposuit eo ipso, quod Ducibus Pomeraniæ omnia virtute bellica parta reddiderit.

VIII. JOHANNES III. FRIDERICUM admorsum & DICEMANNUM Marchiones Misniæ bello lacescivit & Misenam usq; progressus urbem obsedit. Vario Marte eoq; dubio utrinq; decertatum est, ex conditione enim causæ interdum licet bella metiri & eventus eorum cognoscere. JOHANNES III. Brandenburgensis ad arma descendit liberaturus Albertum cognimento Degenerem Landgravium Thuringiæ legitos Filios Fridericum Fortem & Dicemannum hæreditariâ Thuringiæ ditione privaturum eamq; Notho Apicio concessurum à Friderico tum temporis captum, quare ut Albertum Patrem servaret civitates Filiis faventes obsedit. Ut vero finis bellorum esset paqtum cum Friderico certis iisq; utrinq; tolerabib; conditionibus. Postea bellum Johannes III. Waldemarus I. Conradi filii & Patruus Otho IV. faciunt Othoni Duci Pomeraniæ tanta felicitate & celeritate, quantam quisque desperaret; Verum cum nusquam minus quam in bello eventus respondeant, Otho Pomeranus Herulis adjutus superior è pugna discedit paxq; hoc modo initur: Captivi inter

D

quos

quos multi proceres Marchici suo loco & munimenta occu-  
pata Pomeranorum Dominis suis restituuntur. Nec bello  
Thuringico finiserat licet desisteret JOHANNES Brandenburgiæ  
Marchio. Nam ADOLPHUS Imperator & ALBERTUS Marchio  
ille de quo supra meminimus denuo gladium arripiunt spe re-  
stituendi ALBERTI Patris FRIDERICI & DICEMANNI, at re in-  
fecta uterq; iterum discedit. WALDEMARUS I. fortissimum se  
in hoc bello præbuit Thuringio eiq; ut hosti potentiiori FRI-  
DERICUS delecta militum manu occurrit, in WALDEMARII  
provinciam irruit, omnia incendiis & rapinis replet, multos  
secum captos abducit. Abducentem prædam Marchio  
magna celeritate insequitur: cum verò FRIDERICI equitatus  
continuis itineribus defatigatus esset ausis excidit vietus FRI-  
DERICUS captus Brandenburgum mittitur. Marchio WALDE-  
MARUS lytra poposcit oppida aliquot, de quibus cum literas  
afferret ad NOBILITATEM MISNICAM, negant Nobiles se literis  
credituros jubent igitur Principem certo die in locum certum  
adduci, ubi coram ejus voluntatem cognoscant. Interea ita  
se parant, ut cum adduceretur Dominus eum hostibus eripe-  
rent, & cum eo ALBERTUM Anhaltinum abduxeré cui in con-  
ditionibus liberationis Filia ELISABETHA despensata erat;  
At liberato Friderico denegata fuit. Agminum duces  
præcipui fuere Rehefeldii, qui ab hâc FRIDERICI liberatione  
nomen transnominando acceperunt & dicti sunt Löser / quo-  
rum progenies clarissima hodie Mareschallatu hæreditario  
in Sereniss. Saxoniæ ELECTORIS aula fungitur.

IX. WALDEMARUS II. intricatus fuit bellis Megapolita-  
nis, quæ ex Castellis Warnemundanis originem traxerunt ab  
OTHONE & WARTISLAO Pomeraniæ Ducibus & civitate  
*Sundensium* adjutus, à quibus WITZLAUS Princeps Rugiæ  
sub ERICI IX. Regis Daniæ & sociorum HENRICI Mega-  
politani GERARDI & JOHANNIS Holsatiæ Comitum signis  
militans quoniam Rugiam Marchionis copiæ longe lateq;  
vastabant, pacem petere & conditiones victorum arbitrio  
latas accipere cogit: at WITZLAUS odio & vindictæ  
cupidi-

cupiditate ardens immemor sui ERICO denuò Sacramento  
se obstringit, Civitatem Sundensem Marchioni Brandebur-  
gico fœdere junctam gravi obsidione cingit Deo vero Urbem  
protegente, ut Chytr. fol. 153. *Sax.* inquit, & Consilia hostium & ro-  
bur cordium languefaciente, terribilis illa Regum ac Principum con-  
juncta expeditio, quæ tantam universi Arctos orbis de se expectatio-  
nem concitarat, in fumum tandem abiit. WALDEMARUS ad  
suos concessit rellico fœdere & domi commorans OTHONI  
Pomeraniæ Duci terram illam cum oppido Bernesteinâ,  
quam prædecessoris jure armorum suam fecerant, septem mil-  
libus marcarum argenti puri vendidit. Deniq; nullis nec cor-  
poris nec sangvinis hæredibus relictis vivis excessit magnum  
sui desiderium relinquens. vid. Albertus Crantzus lib. 7.  
*Saxon.* Johannes Dubravius lib. 20. *Histor.* Boem. Peucerus lib. 5.  
*Chron.* Carion. Chytraeus in *Saxon.* fol. 38. seq. Fabricius lib. 6.  
Orig. *Saxon.* Calvisius in *Chronol.* Micraelius noster in *Syntagm.*  
*Histor.* Pol. lib. 3. Sect. 12.

## S. D. G.



Stemmati Antiqui Doctis sex secula noti  
Gloria BELOVI factis dispandere nomen  
Viribus ingenij tentas, quæ lumina nostræ  
Laudabunt terræ, Cimbrorum cognitus oris  
KLEISTIUS, & sapiens CROCKOW, super æthera notus  
SOMNITIUS pacis studiosus, SCEPTRA GERENTIS  
ELECTORIS amor, perge, indeleibile nomen  
Nactus es, ALBIS ait: fecit POMERANIA votum:  
O Utinam tellus semper Pomerana crearet!  
Hos virtute Viros celebri, Respublica clavum  
Acciperet talem; Grator conatibus, ausus  
Leucoris alma probat, sint hæc non irrita vota:  
Illustris qui Personas producit & ille  
Illustris fiat, memoretur & omnibus ævis.

Generoso D. de Below gentis suæ decori futuro haec

L. M. Q. adjecit

M. Christianus Schultz.

**A**T tibi, quæ nunc Arte paras, monumenta, perennante,  
Sanguinis, & Cordis, pars adamata, mei!  
Tu licet extollas magnos, ad sidera, montes,  
Et validas, aques marmore, Pyramidas;  
Nec tamen efficies, quod non annosa vetustas  
Expugnet, quod non vertat iniqua dies.  
**H**oc opus erectum fatis; Virtutibus Artem  
Jungere, PRINCIPIBUS, velle placere, VIRIS.  
**T**endit ad hoc animus; Plus ultra est, perge brabéum,  
quod petis, insigni te quoqz, laude manet!  
Hisce Agnato suo congratulatur  
Antonius Georgius à Belovv, Eq. Pom.

**E**Rgo diu patulas, quo Te perduxit avitum  
Et genus, & virtus, carpis Amice, vias!  
Invia virtuti non est Via, querit ubiqz,  
Stirpe suâ dignum mens generosa decus;  
Sic ubi firmavit Sophiæ & Prudentia pectus  
Summa petet tandem nobilitatis apex!  
Nobiliss. Dn. Respond. paucissimafecf.

Bartholus Fasike, Starg. Pom.

**N**Ec bonus, frustra est, labor, ô potentum,  
Sangvis Herorum! stimulante palmâ  
Pallados, fausto, Sophiæqz, campum,  
Corporis ausu!  
Viribus pollet, Dea, vibrat arma;  
Gorgonis Natam superavit Ægis,  
Sed tamen vis Consilii salubris

Ægide præstat.

Te sago gratum faciat, togâqz,  
PRINCIPI, ut pleno, titulis Avorum,  
Atrio cernant parili nitore

Facta Nepotes!

Ita officiosa amicâqz mente auguratur gratulab.

G. Balduinus.

OS \* OS

8

KD/P

HL

Summ

DN.

DN.L.

DN.D.



agnificis Gene-  
cist / Sereniss.  
omeraniâ Regi-  
Consiliis Secretio-  
minensis Decano,  
tario in Nörlingen/

TOPHORO  
randeb. à Con-  
omerania Regimi-  
Drenow/ Grumbz-

à Crockow/  
nsiliario, Judici  
Hæreditario in

bservanter

um in sui

nem

C.

Magnif. & Gener.  
Cliens

orgius à Below.